oratione seu a genuflexione. somnum potius sedendo quam iacendo capiebat;
Nemo hominum aliquando vidit in aliquo actu perpetratum. sed semper
honestus. humilis. gravis. mansuetus. benignus. nemini invidens. nemi-
ni nocens. neminem quod malum est querens erat enim dei gratia plenus. Numquam
aliquando alicui hominum locutus est nisi necessitas coegisset; aut affectio
fratrum. seu bonorum hominum vel pauperum. aut cum monasterii necessitas
expostulasset; erat autem ipse eius totus in deo positus. Ibat autem multotiens.
et requirebat opera monasterii et ecclesie ad portum maris. et revertebatur
ad domum quia prefecerat ei messalinus. Quarto autem anno postquam ibi ad-
venerat. completa est omnis fabricatio monasterii et ecclesie dedicata est
ipsa ecclesia in honore beati baptiste iohannis ab episcopo eiusdem civitatis messane. v. kl.
augusti. Rogavit etiam episcopum ut per totum monasterium aqua benedicta res-
pergeret. et totum illum sanctificaret. et sic cum benedictione sanctus placidus ingres-
sus est in eum cum suis ad habitandum. In quo monasterio infra breve tempus
per gratiam dei et merita sancti placidi ad laudandum et glorificandum deum. xxx.
fratres adunati sunt. Hunc autem que longum est evolvere omnia. quanta per eum
dominus operatus est. quanti leprosi mundati. quanti demoniaci salvati. quanti
languidi in pristina incolumitate restaurati sunt. quanti a variis et
diversis infirmitatibus liberati atque salvati sunt. Que omnia brevitati stu-
dens omitto retexere. ne autem fastidium. aut incredulitatem gene-
ret. Modo autem ad eius obitum gloriosum veniamus. et breviter succincteque
perstringamus qualiter terminum vite martirio compleverit cum aliis pluribus;
Per idem tempus opinio cucurrit rome quod beatus placidus super quod pater eius
tertullius aliquando habuerat in sicilia ab abbate suo beato benedicto dominus
constitutus esset. et quia monasterium ibi construxisset; et quod iam. xxx.
monachi ibi adunati essent. et quia regulariter sancte ac iuste in dei ser-
vitio assidue viverent. Quam opinionem audientes duo carnales
fratres eius eutitius et victorinus. et germana soror eius nomine flavia virgo.
et in eius amore nimium ardentes post tanti temporis magno desiderio
ducti videndi fratrem ex consilio omnium parentum romam navem cons-
cendentes et ad siciliam advenientes. messanam applicuerunt ad urbem